



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Notae Severini Binii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

ANNO  
CHRISTI  
583.

NOTÆ IACOBI SIRMONTI  
SOCIETATIS IESV.

<sup>1</sup> *Anno Christi DXXCIII.* ] Meminit Gregorius Turon. lib. 6. capite 1. Synodi apud Lugdunum conuocata anno sexto Childeberti regis, hoc est anno Christi 581. Verum is annus erat Guntramni tantum 20. huius vero nostræ inscriptio annum denotat 22. Sic enim habet: *Synodus habita in ciuitate Lugdunensi anno 22. regni gloriosissimi domni Guntramni regis.* Annus autem Guntramni 22. iuxta æram nostram congruit anno Christi 583. At qui Clotarii obitum serius constituunt, Concilium hoc reiciunt in annum 586. alii in annum subsequenter.

<sup>2</sup> *Id etiam de epistolis.* ] Locus est mendosus, cui veterum exemplarium inopia mederi non licuit. Can. 2.

<sup>3</sup> *Placuit etiam vniuerso Concilio.* ] Citatur hic Canon in antiquis collectionibus Andegauensi & Diuionensi, titulo *De viduis, pupillis, & pauperibus.* Can. 6.

NOTÆ SEVERINI BINII.

<sup>1</sup> *Concilium.* ] In hoc Concilio ad disciplinam ecclesiæ reformatam anteriorum Conciliorum constitutiones confirmatæ sunt. Ex viginti episcopis duodecim per suos vicarios interfuerunt & subscripserunt. Qui sint Euanthius & Syagrius, dixi supra in notis Concilii Matisconensis I. ex Adonis Viennensis chronico.

<sup>2</sup> *Anno Christi 587.* ] Cum hoc enim anno vigesimus secundus regis Guntramni coincidit: vt patet ex iis quæ supra diuersis in locis hac de re notata fuerunt.

<sup>3</sup> *De epistolis captiuorum.* ] Literæ captiuorum sunt, quas pro redemptione captiuorum episcopi scribere solebant. Baron. anno 142. numero 9. Can. 2.

ANNO  
CHRISTI  
584.

<sup>a</sup> CONCILIVM VALENTINVM II.

SYNODVS HABITA IN VRBE VALENTINA

<sup>1</sup> x. Kalendas Iunii, anno XXIII. regni gloriosissimi domini Gunthramni regis, indictione II. id est, <sup>2</sup> anno Christi DXXCIV. Pelagii II. papæ VII. Chilperici regis XXIII.

<sup>2</sup> Anno  
Christi  
DXXIX.  
vt Binus  
putat.

*Confirmantur a Synodo quæcumque Gunthramnus rex, ipsiusque uxor, & filia, in diuersas ecclesias, vel alia pia loca contulerant.*

CVM in vrbe Valentina, iuxta imperium gloriosissimi Gunthramni regis, nostra mediocritas pro diuersis